

aut averſandum id, quod ſenſibus bonum malumvé eſſe co-
gnovit. Tertia eſt facultas *locomotiva*, quæ eſt viſ animæ ſen-
tientis, qua animal de loco ad locum movetur vel ſecundùm
ſe totum, vel ſecundùm partes, ad proſequendum bonum &
fugiendum malum. De quibus ſingulis ſaltim quædam præ-
libâſſe in præſenti ſufficiat.

E *communis ſententia* §. 14. Tandem ſequitur anima rationalis, quâ ſolâ ho-
mines à brutis ſecernuntur, quæ licet dignitate & perfectio-
ne omnes formas & animas longè ſuperet, tamen ordine na-
turæ iis poſterior eſt. Dicitur autem vulgò ea, quod ſit actus
primus ſubſtantialis immaterialis, qua homo conſtituitur
atque intelligere & velle poteſt. Convenit itaque anima ra-
tionalis in hoc quod eſt actus primus ſubſtantialis cum reli-
quis animabus, imò cum omnibus formis ſubſtantialibus
phyſicis: Differt autem ab iis quando (1.) dicitur quod ſit
actus immaterialis; eſt enim forma à materia in eſſe, fieri &
) operari independens; Reliquæ autem animæ & formæ o-
) mnes ſunt à materia dependentes. (2.) quòd ſit actus ejus-
modi quo homo conſtituitur, intrinſecè puta & essentiali-
ter; eſt enim anima rationalis altera pars essentialis hominis
& illa quidem quæ ſpeciem ejus conſtituit & abſolvit. Dici-
tur (3.) quòd ſit actus quòd homo velle aut intelligere poteſt,
quò ipſo innuuntur duæ animæ rationalis potentix, poten-
tia nempe intelligendi & volendi, vel unò verbò intellectus
& voluntas, quæ ſolæ animæ rationalis potentix ſunt & nul-
læ aliæ.

§. 15. Animam rationalem hominis eſſe formam ne-
mo ſaniorum Philoſophorum, quod ſciam, negavit; ſed
cum duplex ſit forma, una quæ informans appellatur, quæ
nempe per unionem ſui cum materia dat eſſe rei, & eſt alte-
ra pars compoſiti, altera aſſiſtens vocatur, quæ tantum pro-
pinqua & præſens rei eſt, ut motum vel operationem ipſi
largiatur, qualis forma eſt nauta reſpectu navis. *Hinc que-
ritur*, an anima rationalis ſit forma hominis informans, al-
teraque ejus pars essentialis; an verò tantùm aſſiſtens, quæ
homi-